





DE CONTINVA,
IN ECCLESIA EVANGELICO-REFORMATA,
REFORMANDI NECESSITATE,

792
Hi
1391

OCCASIONE
MEMORIAE SEMI-Saecularis,
DIVINAE, PER B. LVTHERVVM
D. XXXI. MENS OCTOBR. ANNO MDLXXVII.
WITTENBERGAE INCEPTAE,
REFORMATIONIS,

NONNVLLA DISSERIT,
SIMVLQVE
DOMINIS,
VTRIVSQVE SVAE DIOECESEOS,
PLVRIMVM REVERENDIS PASTORIBVS,
ORATIONES, QVAE VOCANTVR CIRCVLARES,
INDICIT,
IPSORVMQVE FAVORI ET PRECIBVS
SESE COMMENDAT

CARL CHRISTOPH STOESNER,
DIOECESEOS QVERFVRTENS. ET SITICHENBACENSIS SVPERINTENDENS,
ET AD AEDEM S. LAMP. QVERFVRT. PASTOR.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

LIPSIÆ,
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

DE CONSTITUTA
IN ECCLESIA EVANGELICO-REFORMATA
REFORMANDI NECESSITATE

MEMORAB SEMI-SECULARIS
DIVINAE PER B. LUTHERVM
WITTEBERGAE INCEPTAE
REFORMATIONIS

NONVLLA MISSIVE
D O M I N I S
VTRIVSQVE SAEC. DIOCESES
ET VNIUS REVERENDIS PASTORIBVS
ORATIONES QVAE VOCANTVR CIRCULARES

INNOCENTII
LEONARDVS TAVONI ET BRACIVS
EASE COMMANDAT
GABR. CHRISTOPH. STÖSSNER
PASTORIS QVARTORVM ET SINGVLIORVM ECCLESIAVVM
ET AD ALDEM SALVARI. QVARTORVM PASTOR.

LITTEAE
EX OFFICINA LANGENHEIMIA





Q. D. B. V.

§. I.



In limine statim muneris, clementissime mihi deman-
dati, atque inter *Vos, Optimi Fratres*, initi,
publico quodam scriptionis genere, *Vos* saluta-
re, meamque erga *Vos* voluntatem significare,
in animum induxeram meum. In promptu
quippe non solum erant variorum, nostrae aet-
tatis, magni nominis Antistitum, huiuscemodi
generis scripta, qui primitivae Ecclesiae Episcoporum praeclara ex-
empla imitati, in animos fratrum suorum, ea ratione, viam parare,
sibi persuasi sunt, quorumque vestigiis, quantum quidem pro in-
genii modulo fieri posset, insistere, mearum partium esse duxi;
verum etiam maxime venerabilis Antecessoris mei, B. Kummel-
manni, *Vestri*, in se, studii et amoris insignis commendatio, calcar
ad scribendum non leue, addidit. Quum vero penes hominem
non sit, dirigere gressum suum, Ier. X, 23. et DEO, summo hu-
manarum rerum Arbitro, variis laboribus et sollicitudinibus me im-
plicare placuerit, quibus, quo minus proposito satisfacerem, huc vs-
que impeditus fui, nunc demum *Vobis*, quod in animo dedi, qua-
litercunque soluendi, occasio obtigit. Sat cito, si sat bene, si non
sat docte, sat tamen ingenue.

§. II.

Ducenti et quinquaginta ab hinc elapsi sunt anni, ex quibus
B. noster *Lutherus*; *βδελουγμα* istud indulgentiarum Tezelianarum
perspi-

✠ ✠ ✠

4

perspiciens atque detestans, (*) Wittenbergae, d. XXXI. mens. Octobr. hora diei XII. nonaginta quinque thesibus, Io. Tezelio oppositis, et Valuis Templi O. Sanctorum adfixis, Reformationis Ecclesiae, iam diu anxie desideratae, fundamenta iecit. Nil equidem eo tempore minus, quam reformandae totius Ecclesiae pruritus, animum *Lutheri* tenebat, cum eiusmodi coepto se minus parem, pro modestia sua, crederet, et certe, dummodo petulantiae Tezelianae fraenum quis iniecisset, lubens Thaumastander acquiescisset. (**). At vero, apud Albertum, Archiepisc. Mogunt. cum contra indulgentiarum abusum frustra remedium petiisset, curiae romanae parasitatri, Tezelius ipse, Eccius, Syluester Prierias aliique, cum plaustra vituperiorum in eum eructarent, ipse, cum a Cardinali Cajetano palinodiam canere iuberetur, et horrenda ista excommunicationis et proscriptionis fulmina in eum vibrare coepissent, iuxta illud Ies. XXVIII, 19. tentatione ad scrutandas scripturas et ardentissimas ad Deum fundendas preces impulsus, Theologus tandem, primae magnitudinis, euasit, quare ipsi experto credere fas est: haec tria, Orationem, Meditationem, Tentationem, facere Theologum. Qua ratione, et mira oraculorum sacrorum intelligentia, et animi fortitudine plane singulari, et vitae sancti-

monia

(*) Neque inuidia, vt papicolae calumniantur, aduersus Ordinem Dominici ductus, neque a Io. Staupizio eandem ob causam incitatus, neque ab Electore Friderico, ex odio in Albertum Archiepisc. Mogunt. impulsus, neque gloriae inclarescendi cupidus, indulgentias impugnavit. Vid. Seckend. Comm. de Luther. L. I. Sect. VI. et VIII. §. VI. VIII. et seq.

(**) Audiamus Megalandrum nostrum in Resolut. quibus theses suas confirmavit, quae Tom. I. Ien. Lat. f. 80. seq. extant, de se ipso loquentem: non haec dico aut ago, quod tam impudenter arrogans sum, vt me inter Doctos Ecclesiae sanctae numerandum putem, multo minus inter eos, quorum haec sit statuere, aut destituere, atque vtinam nouissimum merear Ecclesiae membrum fieri aliquando, sed id potius ago, cum sint in Ecclesia et doctissimi pariter et sanctissimi viri, ea tamen est nostri saeculi infelicitas, vt etiam tanti Ecclesiae non possint succurrere — Est enim tempus pessimum, vt ait Amos, Propheta, *ideo prudens in illo tempore tacebit*. Denique et nobis hodie Pontifex optimus, Leo X. cuius integritas et eruditio deliciae sunt, omnibus bonis auribus, etc.

monia non fucata, diuinitus instructus, doctissimorum insuper *Virorum Melanchthonis, Spalatini*, aliorumque ministerio, *Electorum* denique Saxoniae, immortalis memoriae, *FridERICI, Iohannis, et Io. FridERICI* praesidio adiutus atque suffultus, tanquam inuictissimus Heros, regni papalis propugnacula non modo felicissimo successu adgressus est, adeoque euertit, vt multa millia hominum, duro Antichristi iugo excusso, suauiissima nunc conscientiae gaudeant libertate; verum etiam lucem Euangelii primigeniam, orbi christiano Apostolorum ministerio accensam, tot vero saeculorum decursu innumeris errorum, mendaciorum, superstitionum ac flagitiorum generibus maculatam atque obfuscata, ita repurgauit restituitque, vt nobis, qui castra Lutheri sequimur, verbum diuinum pure adnunciando, et sacramenta rite administrando, ad placandam Dei iram, ad sedandos conscientiarum morsus, et ad consequendam salutem aeternam, praesentissima exhibeantur remedia. (*)

§. III.

Qua felicitate, cum benignissimi Numinis fauore, cunctis Aduersariorum contra eam machinationibus ac insultibus explosis, adhuc fruamur, et singulis diebus Dominicis Festisque, Ecclesiae repurgatae, verbis Ambrosii vt liceat: *bonum habemus Dominum*, (***) nonne etiam bono huic Domino, gratias, tanto beneficio, dignas, persolvere, nonne, quoties dies et anni Reformationis recurrunt memoriales, laudibus reiteratis, Deum ter O. M. efferre, nonne vita, instaurata religione digna, animum erga Deum gratum, comprobare teneamur? Quae, cum ita sint, pii Maiores non solum quotannis d. XXXI. mens. Octobr. memoriam Reformationis, festiua solemnitate recolendam curarunt, sed et saecularibus ac se-

A 3 misfac-

(*) Bene itaque Io. Georg. Dorshaens in Dissert. de documentis Providentiae circa Augustanam Confessionem p. 3. hac de confessione: collapsa iam Ecclesiae dignitate et sinceritate, cum plurimi praesentes calamitates oculis Domini, acerbissimo sensu deplorassent, plerique desperassent, vnquam futurum, vt melior redderetur Ecclesiae facies, subito orbi edita est, tanquam abusuum index, errorum helice, veritatis fidus.

(**) Wohl uns des seinen Herrn, ex Cantic. Allein Gott in der Höh sey Ehr 16.



mifaeularibus iubilis Deum concelebrarunt. Dresdae inprimis eiusmodi iubilaem semifaeulare in memoriam initae Reformationis superioris seculi anno sexagesimo septimo curante D. Bulaeo, Dresdensium Sacrorum tum Praesule, celebratum fuisse, Dresd. ad S. Annam Scholae Rector in Progr. nuper in lucem emissio, testatur: nec est quod dubitemus, fore, vt praesenti quoque anno, hinc inde in Prouinciis Aug. C. addicis, solemniore quadam ratione, exiguum Reformationis initium, maximo tamen et felicissimo euentu condecoratum, in gratam memoriam reuocari, iubeatur.

§. IV.

Quantum quantum autem beneficium, quod repurgatam religionem donando, a Deo in nos profectum est, et adhuc proficiscitur, a primordiis tamen eius ad nostra vsque tempora, fuerunt et adhuc sunt, qui a partibus Lutheri esse, gloriae sibi quidem ducunt, doctrinam vero, et fidei, et morum, vel ignorant, vel, si profiteantur, pessimis moribus contaminare, non erubescunt, adeoque vitium ingratisissimi animi incurrunr. Quo factum, vt iam tempore Lutheri, nonnulli extiterint, qui eum, dimidium tantummodo Ecclesiae emendandae negotii, emendationem quippe dogmatum fidei, minime vero integrum negotium, absoluisse, affirmare non dubitarent, quos inter Nic. Storchius et Carlstadius, maxime vero Thomas Münzerus referendi, de quo Philippus Melancthon affirmat, quod dixerit: „Der Pabst hätte die Gewissen zu hart gebunden, mit unbilligen Bänden und Cerimonien, der Luther aber machte wohl die Gewissen frey von päbßlichen Lasten, aber ließ sie in fleischlicher Freiheit bleiben, führte sie nicht weiter in Geist und zu Gott.“ Oper Luth. T. III. Altenb. p. 127. Et ipse Lutherus eundem reipublicae turbatorem ita loquentem sistit: „Man müsse höher fahren, Luther und andere haben wohl das Evangelium angefangen, haben es aber nicht hinausgeführt.“ Vid. Comment. in Genes. cap. XXVI. 34. 35. Et quo magis praeposteri ista de Lutheri negotio iudicia, Zwinglio, Caluino et ipsorum asseclis arridebant, siquidem sese reformatores Ecclesiae *κατ' ἐξοχήν* iactarent, eo audentiores nunc non nostrum, innumeris quippe adhuc naeuis laborantem, sed suum coetum, reformatae Ecclesiae titulum mereri, vociferabantur.

§. V.

§. V.

Falsis ab eiusmodi infimulationibus nostrum *Instauratorem* praeter alios B. Aug. Gottl. Pfeifferus, pie ille doctus Lipsiensium Theologus, in Progr. Lips. d. XXX. Octobr. cfo Io CC XXXI. ad memoriam Reformationis salutaris B. Lutheri, in vigiliis omnium Sanctorum, sancte recolendam, distributo, solide vindicauit, Luthero, doctrinam morum eorumque emendationem aequae ac fidei, curae cordique fuisse, et vita, et doctrina eius sancta, demonstrans. Ad vitam quidem quod attinet, primo, vitam inculpatae, efficacissimum reformandorum aliorum morum esse remedium contendens, ad illud prouocat: „Longum iter,“ inquit *Seneca*, „est per praecepta, breue et efficax per exempla, Zenonem Cleanthes non expressisset, si eum tantum modo audisset: vitae eius interfuit, secreta perspexit, obseruauit illum, an ex formula sua uiueret. Plato et Aristoteles, et omnis in diuersum itura sapientium turba plus ex moribus, quam ex verbis Socratis traxit,“ Epist. VI. Deinde non tam ipsius beati Viri verbis: „Scio, quam fuerit necessarium, ne docerem, antequam facerem,“ quam doctissimi aduersarii eius Erasmi Roterodami, Luthero integritatem vitae ac morum denegari non posse, euincit. Iudicium autem Erasmi de Luthero, quod Libr. II. Epist. I. ad Cardinalem Eboracensem missa, extat, ita se habet: „Hominis (Lutheri) vita magno omnium consensu probatur; iam id non leue praeiudicium est, tantam esse morum integritatem, ut nec hostes reperiant, quod calumnientur:“ Ex scriptis vero, quibus multum studium, multamque operam et in repurgandam doctrinam morum, et in promouendam pietatem, Lutherum contulisse constat, ante laudatus Pfeifferus ea in primis allegat, quibus primo, cultum illum electivum, Numini diuino adeo detestabilem, veluti vitam monasticam, cultum idololatricum Sanctorum, B. Mariae Virginis et reliquiarum, peregrinationes, aliosque nullibi praescriptos Deum colendi modos impugnauit: Secundo, Antinomias, Articulum de Sanctificatione ex Ecclesiae pomerois fere totum proferibentibus atque eliminantibus, masculae obuiam iuit, et tertio, ex instituto, viam coram Deo recte ambulandi, monstrauit *Noster*, quo inter alia, vterque eius Catechismus, totque sermones sacri, nil nisi pietatem ingenuam spirantes, pertinent.

§. VI.



§. VI.

Nec defuerunt, qui ex eo capite, quod tot reliquiae pontificiae, praesertim circa ritus et caerimonias, quo signum crucis, Exorcismum, aras, hostias, flexionem genuum, absolutionem priuatam, simulacra, vestitum sacerdotalem aliaque referunt, nostra in Ecclesia remanserint, Reformationi Lutheranae maculam adspargere conati sunt. At vero, eiusmodi ritus huc vsque in Ecclesia Euangelico-reformata, in vsu esse, nos equidem non negamus, negamus autem, reliquias pontificias esse. Errores enim, superstitionem, et si qua alia papatum redolebant, remouerunt pii Maiores, et nos quotidie remouemus, coerui contra nostrum vsum analogiae fidei conformem ostendentes. Vltro insuper a nostratibus ritus quidam recepti, et a Principibus, ex parte, confirmati sunt, ita, vt non amplius caerimoniae pontificiae, sed nostrae Ecclesiae ritus, audiant. Plura hac de re disserit Io. Hermannus ab Elswich in Commentatione de reliquiis papatus Ecclesiae Lutheranae temere affictis.

§. VII.

Omniem itaque religionem, et partem eius theoreticam, et practicam, (est enim, religio ἐπίγνωσις ἀληθείας κατ' ἐνάρεσίαν Tit. I. 1.) Megalandro nostro, curae cordique fuisse, tam certum est, quam quod certissimum. An vero, qua posteriorem, in reformandis scilicet hominum moribus, pari felicitate vsus sit, ac in repurgandis fidei capitibus, alia quaestio est, quam nemo, nisi omnium rerum plane incuriosus, affirmare audebit. Doctrinam regundorum Christianorum morum feliciter purgavit restituitque *Noster*, pauci vero eorum, qui Aug. Conf. sua nomina dederant, iam tum, eo, vt vitam et actiones ad hanc amullim componerent, moueri potuerunt. Quam ob rem hinc inde, praesertim in Explicat. Epist. ad Galatas, de corruptis suorum moribus conqueritur *noster* morum Emendator. „Wir wollen (inquit) alle euangelisch seyn, und der christlichen Freyheit gebrauchen, und gehet doch nichts destoweniger der größte Hauffe den Holzweg. Dieser folget seinem Geiße, der andere seiner Wollust, mit Fressen und Sauffen, u. s. w. der dritte seinem Stolz und Hochmuth, Neid und dergl. Es thut Niemand, was ihm zustehet, wie er seinem Beruf nach thun sollte, es dienet Niemand dem andern aus Liebe — — Diese „schäde

„schädlichen Mißbräuche bewegen mich oft so hoch, und machen mich
 „so unwillig, daß ich oftmals wünsche, daß solche unflätige Säuran-
 „gen, so die Perlen unter die Füße treten, noch unter des Pabsts
 „Tyranney wären. „ Quin immo proterui iuuentutis mores, lu-
 xus vestium et lasciuia sexus sequioris Wittenbergenfis, (*) Spon-
 salia non minus clandestina, a ICris vsque ad multorum parentum
 summam offensionem, adprobata, et alia Saeculi sui scandala, bre-
 uui, ante excessum eius, adeo curis exederunt et affligerunt iu-
 stissimi huius Lothi animum, vt eorum pertaesus, ex improviso
 Wittenberga egressus, Mersburgum ad Georgium Anhaltinum
 Principem, et deinde Cizam ad Nic. Amsdorffium, non modo
 se ipse conferret, sed etiam vxorem Wittenberga, veluti ex So-
 doma abire iuberet, et nunquam forte eo reuersus fuisset, nisi ab
 hoc animi sui proposito cum preces Academiae, tum inprimis ad-
 hortatio Electoris prudentissima et clementissima eum reuocaf-
 sent. (**)

§. VIII.

Et sane, post Lutheri placidum, ex hac rerum vicissitudine,
 secessum, res Ecclesiae nostrae, a parte eorum, qui ipsi nomina
 subscribunt, se non multo secus habuerunt. Veritas equidem Eu-
 angelii, quam pii Maiores in libris nostris symbolicis professi sunt,
 pura adhuc et incorrupta per Dei gratiam lucet. Dat Deus ver-
 bum, annunciatrices sunt exercitus magnus Psalm. LXVIII, 12.
 Perstabit *νεμύλιον* illud pretiosissimum vsque ad finem saeculi, nec
 portae inferorum superabunt veritatem per Lutherum restituta-
 ram. (***) Speramus denique fore, vt puritatem Euangelii in no-
 stra quoque patria conseruando, Rex Sionis praesagium istud vir-
 rulentum, de tristi quadam immutatione Ecclesiae nostrae faciei,
 quatuor vel quinque Saeculorum decursu futura, pudore suffun-

(*) In literis d. 22. Ian. ad Electorem datis expresse scribit: procaces
 fieri puellas, et vltro in hospicia iuuenum irruere, amoresque suos
 illis offerre. Et in Epist. ad vxorem male minatur vbi, ob prauam
 disciplinam, inter alia ob foeminarum lasciuiam in denudando collo
 et pectore;

(**) vid. Seckend. Comm. Libr. III. Sect. XXXII. §. CXXXVI.

(***) Gottes Wort und Luthers Lehr vergehen nun und nimmermehr.

dat. (*) Nihilò tamen minus Viris diuinitus illuminatis moestissima vitia, quae Ecclesiae nostrae magno dedecori sunt eamque deformant, vndiquaque occurrunt. Quem fugiunt varia errorum zizania, quae et nostris temporibus, medio in agro Ecclesiae feruntur atque fouentur? Quantum Fanaticorum deliria, Naturalistarum et Neo-Socinianorum argutiae, Indifferentistarum et Separatistarum nugae, fontem Israëlís turbarint et adhuc turbent, tam notum est, quam quod notissimum. Quanta oraculorum sacrorum inter *nostros* ignorantia? Quot superstitionum et praeeceptorum opinionum apud plebem, genera? Quot ex Politicorum ordine, quorum nulla omnino de rebus diuinis sollicitudo, sed, qui cum Gallione Actor. XVIII, 12. seq. existimant, non alia ad suam spectare curam, quam quae temporalia sunt, et hanc vitam attinent? Quot V. D. ministri, qui *ἄλλοις κηρύττοντες αὐτοὶ ἀδύναμοι γίνονται*? Maxime vero tristissimum illud apud Ier. c. VII, 4. *היכל יהיה חמה* ceu morbus intricatissimus in animos se adeo insinuauit nostrorum, vt plerique omnem consequendae salutis fiduciam, in mero mediorum gratiae vsu, cultusque diuini externi exercitio, ponant atque iis acquiescant. Quae cum pius ille Rothochiensium Doctor, Io. Henr. Mullerus vidisset, eo, iusto zelo abreptus est, vt nimis quidem duriter, diceret: Lutheranis quatuor muta idola esse, Baptisterium videlicet, aram, Cathedram, et sellam confessionariam, reapse vero pessimum illud *Opus operatum* destruere adlaboraret. Optime certe in nostrae Ecclesiae membra quamplurima verba Hieropsaltis (ad versionem Iunii et Tremellii) quadrant: Quid tua, vt enarres decreta mea, et assumes foedus meum in ore tuo, cum tu oderis disciplinam, et proieceris verba mea post te? Simulac vides furem, acquiescis ei, et cum adulteris est portio tua. Os tuum adhibes ad malum, et lingua tua concinnas dolum. Sedens fratri tuo obloqueris, in filium matris tuae edis infamiam. Pl. L, 16. seq. Ager est Ecclesia: vbiuis

Infelix lolium, et sterites dominantur auenae.

S. IX.

(*) vid. Marquis d' Argens *jüdischer Briefe* 312. ad cuius commentum summe vider. D. Ioach. Sam. Weikmannus pro more suo, i. e. solide et mascule respondit, in Praefat. libelli, cuius titulus: *Unverbrannter Luther*,

Quam ob fractionem Iosephi, multi magni nominis Theologi tanta animi aegritudine affecti sunt, ut, licet alii nefas existimarent dedecora et defectus Ecclesiae detegere, ipsi potius charitatis esse, vulnera periculosa, ut sanitati consulatur, exponere, putarint. Collegit ea propter B. Philippus Jac. Spenerus varias summorum virorum de statu Ecclesiae corrupto, querelas, v. g. Dav. Chytraci, Nic. Selneckeri, inprimis Io. Georg. Dorschaei, hoc modo conquerentis: „quis corruptissimum, et tantum non desperatum Ecclesiarum nostrarum statum non acerbe deplorat? Quis non dies nostros dubitet esse dies extremos, et in iis *καίριος χαλεπός*? (*) Suasque ipse addit Spenerus, per singulos Ordines, Politicum, Ecclesiasticum et Domesticum, defectus acerbissima deploratione dignos animaduertens, defectus inquam, qui et Iudaeos, et Heterodoxos, plus, vna vice, a communione nostrae Ecclesiae quaerenda, arcuerunt. Quo factum, ut a quibusdam ex Nostratibus, Vir beatus de corruptelis Ecclesiae conquerendo, modum excessisse argueretur: nec ipse ego, eum, ultra quam par esset, a vehementia doloris animi abreptum fuisse, inficias ire velim, cum pag. 10. P. Desid. scribat: „immo non aliud grauiorem dolorem mihi excitat, quam quod vix cernam, qui posset quispiam nostrum, in vniuersali illa et tetra corruptione, conscientiae suae satisfacere, et animam seruare; „ absit tamen longissime, talem Virum, cuius memoria apud omnes bonos nunquam interibit, vel Donatistis antiquioribus adnumerare, vel famosissimo isti Dippelio, aliisque Fanaticis recentioribus, aequiparare, qui Ecclesiam nostram meretricem illam Babylonicam, canequae pius et argue fugiendam, impudica fronte clamitant. Audiamus ipsum pro se ipso dicentem: „nec illo animo sum, (inquit) ut cum Elia Praetorio ad „extrema prouolem, et infantem cum fordibus eiiciam,“ cit. libr. p. 10. et p. 54. „haec conditio est, in qua oculis moestis con- „spicimus exteriorem faciem Euangelicae caeteroquin verae et „quod doctrinam attinet, purae nostrae Ecclesiae: „ et pag. 64. „neque ergo Babyloni adnumerari potest Ecclesia, quae eam eius- „que regimen publice improbat, eique plane in nullo obsequitur,

B 2

„vel

(*) In Piis Desid. Edit. lat. p. 23. 25. 57.



„vel se regi patitur, quamvis aliis defectibus laboret, et aliquid
 „morum Babylonis longa consuetudine adscitorum, adhuc ser-
 „uet. „

S. X.

Quem vero ad modum natura eo nos inuitat, vt, vbi morbos videmus et alia mala, de remediis circumspeciamus; ita et B. Spenerus tot Ecclesiae maculas et naeuos oculo collustratiore penetrans, non potuit non, quin emendationem, siue reformationem anxie exoptaret, eamque necessariam esse, assereret. „Hier bin
 „ich nicht in Abrede, (inquit) daß ich freylich eine große Verbesse-
 „rung unserer Lutherischen Kirche nöthig achte, welche man Refor-
 „mation, oder wie es am bequemlichsten lauten möchte, nennen
 „kann: nur daß man nicht sage, daß ich eine andere Religion suche;
 „sondern allein, daß der Glaube, dessen Artikel wir durch Gottes
 „Gnade rein haben, auch kräftig und lebendig in die Herzen der
 „Menschen eingedrucket, und alsdenn bey den Gliedern der Kirche
 „recht fruchtbar werde. Geschiehet dieses, so haben wir genug res
 „formiret. „ Vid. eius Beantwortung des Pietistischn Unfugs
 p. 129. Et in P. Desid. p. 10. „Vtique ipsa necessitas mihi est,
 „fatendi, nostrum ordinem ecclesiasticum non minus reformatio-
 „nis indigum esse, quam quisquam alius ea eget. „ Quod, cum
 nonnulli illius temporis Theologi, alias de Ecclesia nostra optime
 meriti, ita acciperent, vt Spenerum, nouam, in contentum eius,
 quae per Lutherum facta est, reformationem moliri, sibi persuade-
 rent, eos inter et Spenerum controuersia exorta et ad tempus agi-
 tata est, quae variis vtrinque scriptis ansam dedit, qua de re plu-
 ra videbis in celeberrimi Io. Georg. Walchii histor. und theolog.
 Einleitung in die Religionsstreitigkeiten unsrer Lutherischen Kirche,
 Part. III. S. LXX. et LXXI. Ast, tali, a laudato iam Ienenisum
 Doctore, inter logomachias relata, facile, ni fallor, Viri docti su-
 perfedere potuissent controuersia, si ipsis, reformationem nouam,
 de reformatione continuanda, discernere placuisset. Quodsi nouam
 doctrinam, et ab ea, quam Lutherus restituit, diuersam, contexe-
 re et diuulgare molitus esset Spenerus, omni iure, mali, quod Re-
 formatissimum vocant, accusari potuisset: id vero est, quod disertis
 verbis a se dimouet, dicere prohibendo: daß er eine andere Reli-
 gion suche, i. e. nouam, et ab ea, quam in libris symboliis Eccle-
 sia

fia nostra publice profitetur, alienam. Et qui eiusmodi nouam religionem velle poterat, cum Ecclesiam nostram *veram* et quoad doctrinam, *puram* adpelliret? §. IX. Id tantum modo in votis habuit Vir beatus, vt fides vera et efficax hominum animis imprimitur, quae vim suam et efficaciam in reformandis hominum moribus, siue, quod idem, in renouatione et sanctificatione exserat. Quod cum Lutherus non minus desiderasset, §. VII. in aprico positum est, P. Speneri Desideria, emendationis morum per Lutherum inceptae, tantum continuationem, pro obiecto habuisse et pro saeculi sui ratione, habere potuisse.

§. XI.

Eo equidem Spenerus, tela futuro tempore in se immittenda, procul dubio, pro sagacitate sua praeuidens, acriter non perstitit, vt emendationem morum, de qua loqui, in animo esset, reformationem adpellandam contenderet, (*welche Verbesserung man Reformation, oder wie es am bequemlichsten lauten möchte, nennen kann, §. X.*) At, si rotunde reformationem dixisset, num idem peccasset? Meminerit, si quis de vsu phraeos: *reformare mores*, haesitet, nobis de Reformatione Ecclesiae sermonem esse, qua in re omnes consentiunt, et τὸ reformare, vi vocis, idem, ac rei pristinam formam dare, et per vsum loquendi idem, ac rem in statum, qui ante fuit, perfectiorem restituere: meminerit porro, dogmata fidei, Ecclesiam sola non constituere, sed mores pariter diuinae voluntati conformes, ab Ecclesia eiusque membris postulari, sit enim sancta et inculpata, non habens maculam aut rugam: Eph. V, 27. meminerit, Ecclesiam primaeuam et Apostolicam quoad vtramque partem, et doctrinam, et vitam, in statu perfectiori, immo florentissimo, fuisse, Actor. IX, 31. de particulari inprimis, quae Romae floureret, testimonium Apostoli notatu dignum: *εὐχαριστῶ μὲν τῷ Θεῷ μὲν, ὅτι ἡ πίστις ὑμῶν καταγγέλλεται ἐν ἅλῳ τῷ κόσμῳ*, Rom. I, 8. Quo perfectionis gradu autem, cum Ecclesia subsecutis temporibus exciderit, et doctrina non modo erroribus ac mendaciis obscurata, verum etiam eorum, qui sese membra Ecclesiae iactarent, vita, detestandis sceleribus maculata fuerit, eo omnino, vt Ecclesia etiam qua vtramque partem, et doctrinam, et vitam, in pristinum perfectionis statum, quantum quidem fieri posset, restitueretur, siue reformaretur, adla-



borandum fuit. Et, num τὸ μεταμορφῶσθαι Rom. XII, 2. aliud quicquam indicare potest, quam reformationem, siue restitutionem hominis, ex parte intellectus et voluntatis, siue cognitionis et morum, corruptissimi, in eum perfectionis gradum, quo ante lapsus, gauisi sunt protoplasti? Licet enim τὸ μεταμορφῶσθαι in genere quamcunque mutationem seu transformationem noter, h. l. tamen in specie reformationem vel restitutionem τῆς μορφῆς, quae iam ante existit, non potest non designare, cum Apostolo sermo sit de μεταμορφῶσει τῆ ἀνακαινώσει τῆ νοῦς. Ea mens est Apostoli: exuant in dies credentes, qua mentem, i. e. omnes facultates animae, tam intellectum, quam voluntatem, τὸ σχῆμα τῆ αἰῶνος τῆς, figuram saeculi corruptissimi, non amplius imitando carnales, et mundanos homines, eorumque moribus indulgendo, induant potius magis magisque nouam μορφήν, quae similis sit primorum hominum menti ad imaginem Dei in sapientia, sanctitate et iustitia, creatae, vel, sinant se adeo reformari, vt restitutione primae morum vitaeque integritatis, per lapsum Adami amissae, inchoetur ac tandem consummatur. Idem itaque reformare est, ac renouare, vel innouare, quam ob rem Paulus, quod μεταμορφῶσθαι h. l. appellat, Eph. IV, 23. his verbis exprimit: ἀνανεῶσθε δὲ τῷ πνεύματι τῆ νοῦς ὑμῶν, καὶ ἐνδύσασθαι τὸν καινὸν ἄνθρωπον, τὸν κατὰ Θεὸν κτισθέντα ἐν δικαιοσύνη, καὶ ὁσιότητι τῆς ἀληθείας. (*)

§. XII.

Hoc, si, vt mihi persuadeo, concedatur, emendationem morum videlicet etiam reformationis nomine venire posse, et secundum Scripturae S. stilum, actu venire, ad propositum meum, continuam in Ecclesia Euangelico-reformata, reformandi necessitatem demonstraturus, propius nunc accedo, hac ratione concludendo: in quacunque Ecclesia mores corrupti reperiuntur, nec vnquam ante consummationem saeculi, summa et perfecta morum integritas

(*) Id imprimis B. Io. Christ. Schaeffer, Archid. quondam Querfurtensis Vir et solidiore doctrina, et ingenua pietate, conspicuus, pater, celeberrimi, huius nominis, nostra aetate, apud Ratisbonenses Theologi, bene perspexit, dum conversionem et sanctificationem veram reformationem cordis vocauit, in libello: Anweisung zur wahren Herzens-Reformation, Leipzig 1723.

ras speranda, ibi continua opus est reformatione. Ea enim neglecta, vltiores indies mortalium corrupta natura capeferet gradus, et ii, quorum est, impietatem coërcere, integritatem contra, et sanctimoniam vitae promouere, grauissimas Domino Ecclesiae daturi essent poenas. At vero, in Ecclesia Euangelico-reformata, effraenatos hominum mores, suo iam tempore deplorauit Lutherus, §. VII. deplorarunt alii, §. IX. deplorant hodie omnes de gloria Dei hominumque salute solliciti, §. VIII. nec tristis nos ea de re dubitare finit experientia: perfectae denique sanctitatis praesenti mundi systemate duraturo, ob peccatum inhabitans, mundi illecebras et Diaboli suggestiones, nulla spes est: multo deteriora potius adhuc tempora, *ἐν ἐσχάταις ἡμέραις*, praedicat Apostolus 2 Tim. III, 1. seq. *Quis itaque tam obcaecatus, tanque perfrictae frontis esse potest, vt continuam morum reformandorum necessitatem, in dubium vocare, audeat?* „Morum emendatio, (reformatio) inquit supra laudatus Pfeifferus, cum origine saeculi per Adamum deprauati, coepit, et ad hunc vsque diem, et vsque ad finem mundi per ignem deflagrandi, ab omnibus credentibus atque piis est continuanda, donec omnia *ἐν ἀποκαταστάσει τῶν πάντων*, (malem ego dicere *ἐν παλιγγενεσίᾳ*, Matth. XIX, 28.) cum aduentu Christi vltimo expectanda, fiant noua, vbi expectamus nouum coelum et nouam terram, in qua non amplius peccatum, sed iustitia, teste Petro 2 Petr. III, 13. habitat. „

§. XIII.

Hancce morum reformandorum necessitatem, excipit alia in Ecclesia Euangelico-reformata, reformandi continua necessitas. Quis enim rerum in Ecclesia aeternarum tam rudis est, vt nesciat, quot et quantis statim post fata Lutheri, turbata sit erroribus et controuersis, inde oriundis? sufficit Crypto-Caluinismum, Synergismum, Flacianismum et reliquos, quibus, Formulam Concordiae strictè sic dictam stabiliendo et subscribendo, obuiam itum est, errores, saltem nominasse, eo quod vberiore eorum relationem summe Vener. supra laudatus Walchius, in *der Einleitung in die Streitigkeiten unsrer lutherischen Kirche*, exhibuit, meique nec propositi, nec pro tempore officii est, iis referendis atque confutandis, diutius immorari. Quantum et hodie Ecclesia nostra Se-

para-

paratistarum, Neo-Socinianorum, τῆς ἀποκαταστάσεως τῶν πάντων assertorum, aliorumque friuolorum hominum attentatis, prematur atque vexetur, tristi condocemur experientia. Et certe, neque futuro tempore ὁ ἐχθρὸς, zizania inter triticum ferere, cessabit, neque deerunt, qui vel inanis gloriae inclarescendi cupidi, vel, vti famosissimum Christianum Edelmannum fecisse constat, iniuriarum, quam a Nostratibus sibi illatam, credunt, vlciscendi gratia, vel alia ex causa ista fouere longiusque disseminare, non erubescunt. Ipse denique salutis nostrae *Recuperator*, ante messem illam iudiciariam, errores ex vera Ecclesia penitus non eradicatum iri, satis luculenter innuit: Ἄφετε, inquit, συναυξάνεσθαι ἀμφοτέρω μέχρι τῆς θερισμῆς, Matth. XIII, 30. et Paulus: δεῖ γὰρ καὶ αἰρέσεις ἐν ὑμῖν εἶναι, ἵνα οἱ δοκιμοὶ φανεροὶ γένωνται ἐν ὑμῖν. 1 Cor. XI, 19. Ponas nunc, rebus sic se habentibus, vigiles Sionis dormituros, et errores sensim propullulantes atque irreperentes neque obseruaturos, neque confutaturos, et ad eliminandos eos plane nihil faciuros esse, nonne verendum, ne Scriptura sacra et libri Ecclesiae nostrae symbolici, breui, instar thesauri reconditi puluere et ruderibus obducti, adeo hominum memoria amoueantur, vt, si ex improuiso a quodam inuenirentur, talem excitaturi sint stuporem, quali Iosias, rex Iudaeorum, libro Iehouae per Hilkiam Archifacerdotem citra opinionem relecto, capiebatur? 2 Reg. XXII. QVOD NE ECCLESIAE EVENIAT, CONTINVA SANE OPVS EST REFORMATIONE.

§. XIV.

Addatur, quod ipsi sanctissimo Spiritui, veram Ecclesiam sub figura aedificii, Eph. II, 20. et Ebr. III, 6. item vineae, Ies. V, 1. seq. et Matth. XX, 1. seq. nec non agriculturae 1 Cor. III, 9. proponere placuerit. Accipe iam, quaeso, palatium ad probatissimorum Architectonicis theorematum normam bene fundatum, portis et ianuis, tecto, claustris et fenestris optime instructum, statuis et picturis exquisite condecoratum, omnibus numeris perfectum: abi nunc, nullam eius omnino habe curam, nulli alij curam committe, redi quinquaginta annorum spatio praeterlapsō, et inuenies inquitatum, perforatum, hinc inde collapsum et ad inhabitandum, nisi reformando vel innouando succurras, aegre aptum: omitte et instauracionem, mox dirutum iacebit atque prostratum. Eme vineam muris

muris circumseptam, vitibus fructiferis refertam, circumfossam, stercoreatam: omnem nunc eius curam per aliquot tantum annos sepone, et inuenies conculcatam, sentibus et carduis vites vel suffocatas, vel ita eneruatas, vt parum, aut prorsus nihil commodi amplius sperandum. Eadem res est cum agro, cultura eius neglecta. O quid igitur Ecclesiae, quae Domus Dei est, nisi errorum ac flagitiorum sordibus repurgando, fissurasque resarciendo continuo consulatur, quid, inquam, Ecclesiae, quae vinea, quae ager est, tandem aliud, quam triste exitium, eueniret, nisi Dominus Ecclesiae *σκέπη ἐκλογῆς* mitteret, qui defectus sensim ingruentes retegendo, septa reparando et conseruando, zizania varii generis vellendo et vulpeculas, vineas corruptentes, cohibendo, semen contra veritatum diuinarum spargendo eique indulgendo, pro viribus diuinitus concessis, salutis Ecclesiae curam gerant?

§. XV.

Cogitando denique ad incunabula Ecclesiae recurramus, et per quaeuis temporum interualla, tam continuae reformandi necessitatis, quam prouidae, circa Ecclesiam reformandam, Dei curae, egregia inueniemus specimina. Adamum et Euam, posteaquam Deus grauissima peccata illis exprobrasset, et promissionem de semine mulieris, caput serpentis contrituro, dedisset, vere respicuisse, sacrificiis fide in venturum Messiam oblati, a Deo peccatorum remissionem petiisse et accepisse, Deum porro, pro ratione acceptae reuelationis, coluisse, suisque natis, eandem ad salutem perueniendi viam, tradidisse, adeoque veram Ecclesiam constituisse, non est, quod dubitemus. Quum vero de Caino, ex eo tempore, quo ob patratum fratricidium a Deo reprehensus esset, eiusque posteris, ne minimum quidem, quod ad cultum diuinum referri possit, sed quod potius saeculi huius negotiis occupati fuerint, relatum legimus, et posterum Caini a Deo ipso filii hominis, posterum Sethi autem filii Dei vocantur, facile inde colligi potest, veram Ecclesiam in familia Sethi sedem tantummodo habuisse. Et cum de tempore Enochi, filii Sethi Gen. IV, 26. dictum sit, tum coeptum esse inuocari nomen Iehouae, verba haec a celeberrimo Buddeo Hist. Eccles. Vet. Test. pag. 129. sic explicantur:

Saltem id extra dubium positum, contigisse tum aliquid, quo cul-



„tus Numinis illustrior, magisque conspicuus redditus est, quocum
 „etiam maior ab impiis separatio coniuncta esse potuit. „ En igitur
 primam Ecclesiae reformationem! Nec ex eo tempore, causae,
 quae reformationem poscerent, defuerunt. Facta enim duarum
 ciuitatum, Dei et diaboli, per connubia commixtione, Gen. VI,
 1. simul factum est, vt, quicquid inter Sethitas sani esset, ea-
 dem labe, qua Cainitae laborarent, inficeretur, et ita ad omnes
 corruptio peruaderet, sunt verba Buddei cit. loc. At vero, No-
 achus praeco iustitiae adpellatur i Petr. II, 5. Nonne igitur No-
 achum omnem in reformanda Ecclesia operam, inani tamen, pro-
 dolor! euentu, collocasse, palam est? A Noachi vsque ad Mosis
 tempora vera religio per Patriarchas oraliter tradendo propagata
 fuit, quod propter longaeuitatem hominum facili negotio fieri
 potuit. Quo factum, vt non solum in familiis Abrahami eiusque
 posterorum, verus Dei cultus locum obtineret, verum etiam pe-
 nes alios, verae religionis, luculentissima reperirentur vestigia, id
 quod exempla Iobi, et qui eum viderent, nec non Bethuelis, La-
 banis, Iethronis et aliorum, fati superque probant. Quum vero
 ob idololatriam magis magisque inualescentem et hominum aeta-
 tem contractiorem, periculum esset, ne, quod vere Dei cognitio-
 nis ac ingenuae pietatis adhuc superesset, τῆ ἐξουσίᾳ τῶ σωτῆρος,
 penitus opprimatur et suffocetur, Deus Ecclesiae suae, magna illa
reformatione Mosaica, succurrit atque auxilio fuit. Haudquaquam
 enim Moses, legem diuinam promulgando ac cultum Leuiticum
 instituendo, nouam religionem contexit atque propalauit, repur-
 gavit potius religionem Patriarchalem a corruptelis errorum ac vi-
 tiorum, quibus plurimi Israelitarum infecti essent, et largiori re-
 uelationis modulo eiusmodi naeuis, quo minus Israelitarum ani-
 mos denuo irreperent, obuiam iuit: amplificauit insuper religio-
 nem Patriarchalem, et plus ei lucis affudit, adeo, vt viam salutis
 inuenire, eamque ingredi, multo nunc esset facilius. Quantum
 postea Samuel, David, Salomo, Elias, Iehiskia, Iosias, et post re-
 ditum e captiuitate babylonica, Nehemias et Esra, pro Ecclesia
 repurganda et instauranda fecerint, literae Vet. Test. sacrae vnum-
 quemque satius docere possunt. Omnium vero maxime dignus,
 qui inter Reformatores Ecclesiae referatur, magnus noster et ae-
 ternum colendus **SOSPITATOR IESVS CHRISTVS.**

Hic

Hic angelus foederis, qui purgavit filios Leui, et defaecauit eos velut aurum et argentum: Mal. III, 3. hic benefecit pro bonitate sua Sioni, et muros hierosolymorum aedificauit, Psalm. LI, 20. traditiones hominum, quas pluris mandato diuino, fecissent Iudaei, reiiciendo, Marc. VII, 8. Scribarum et Pharisaeorum, qui externe speciem pietatis prae se ferrent, intus vero toti sub potestate peccati essent, hypocrisin retendo: Matth. XXIII, 23-28. legem porro Moralem ita, vt non solum actus externos legi conformes, sed etiam obedientiam spiritus, siue conformitatem cogitationum et propensionum cum voluntate diuina, poscere, ostenderet, explicando: Matth. V, 20. seq. et ad legem caerimoniam denique quod attinet, aequae ac Prophetarum vaticinia, se esse scopum et finem, quo omnia, quae Moses et Prophetae dixissent, tenderent, non ipse tantum Luc. XXIV, 44. 45. sed quoque per Apostolum Paulum testatus est, Rom. X, 4. Post factam Christi de mortuis resurrectionem Dominus Ecclesiae in eam introduxit non nouam religionem, siquidem nos *διὰ τῆς χάριτος κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ πιστεύομεν σωθῆναι, καὶ ἐν ἑσπέρῳ κακῆνοι*, patres scilicet Vet. Test. Act. XV, 11. sed nouam *ἐκνομίαν*, vel aliam dispensationis mediourum gratiae rationem, quam quae ante Christum natum fuit. Qua viri *Θεόπνευστοι* stabilienda dum occupati essent, vna manu, quemadmodum Iudaei ex captiuitate babilonica reduces muros hierosolymitanos exstruendo, quisque agebat opus suum, altera tenente missile: Nehem. IV, 17. ex vna parte Euangelium praedicando et Sacramenta rite administrando, noui foederis vel oeconomiae Ecclesiam, fundabant et amplificabant, ex altera ab erroribus Iudaeorum, qui iustitiam legis introducere satagerent, nec non Simonis magi, Cerinthis aliorumque haeresiarcharum non minus, quam variis ingruentibus flagitiis Ecclesia simul erat repurganda, id quod in primis Epistolae Pauli hinc inde nos docent. Eundem in finem, vt Ecclesia nempe ab eiusmodi malis superinuenientibus repurgaretur, Synodi aevi Apostolici, et concilia saeculorum subsecutorum conuocabantur: et quum denique eo perfectionis fastigio, in quo saeculo quarto sita fuit, Ecclesia gradatim recederet, ac vniuersi orbis christiani superficies mendacijs, erroribus ac vitijs, densa quasi caligine obduceretur, summaque grassari coepisset barbaries, varii, successiue, testes ve-



ritatis, quos Flacius in Catalogo exhibet, diuinius excitati, pro viribus sibi datis in reformanda Ecclesia, omnem collocarunt operam. Et quis literarum, quae posteritati fata Ecclesiae tradidere, adeo experts est, vt nesciat, Concilia Saec. XV. Pisae et Constantiae eum in finem, vt Ecclesia capite et membris reformetur, fuisse conuocata? Quae licet vniuersalis Ecclesiae reformatio frustra exspectaretur, prouida tamen Dei cura factum est, vt veritas Euangelii qua credenda et agenda, pura et clara, postquam diu sub modio latitaret, per Lutherum protraheretur, atque vniuerso fere terrarum orbi, ante oculos poneretur. *Quodsi igitur Ecclesia per cuncta temporum intervalla, quando retro, vsque ad Adamum percurramus, continua reformatione eguit, absorptum certe foret, in posterum, nil, nisi aurea saecula exspectare, vbi nec vllae maculae, nec vlla circa abstergendas eas cura, futurae.*

§. XVI.

Argumenta, quae pro continua in Ecclesia nostra, reformandi necessitate, in medium iam protuli, si diligentius expendantur, vix vllum, vt mihi persuadeo, ea in re, scrupulum Vobis, *Fratres in Christo dilectissimi*, superesse sinent. Quid nunc faciendum? Quae remedia adhibenda, vt Ecclesiae, nostra quoque aetate tot defectibus laboranti, consulatur? Num curam Ecclesiae succurrendae ad solos Principes et Magistratus relegabimus? Sunt equidem, fateor, nutritores et nutrices Ecclesiae Ies. XLIX, 23. et eorum omnino est, institutis salubrioribus, circa cultum diuinum externum, circa emendandas scholas, circa V. D. ministros eligendos et vocandos, circa proteruos, et Clericorum et Laicorum, mores coercendos, circa libros obscenos et periculosos proferibendos, aliaque ratione, Ecclesiae prospicere. Omnes quoque splendidissimum ac summe venerandum *Protosynedrium* nostrum, cui summa a summo Principe Ecclesiae cura commissa est, et quod summi honoris causa nomino, curas cogitationesque eas in res omnes, conferre, ne infantulos quidem latet. Quid Corpus iuris Ecclesiastici Saxonici, quid mandatum in specie de accuratore dierum Dominicalium Festorumque celebratione, et illud de diligentiore iuuentutis institutione, a quinto aetatis anno inchoanda et per
totum

totum annum, solis diebus canicularibus exceptis, continuanda, superiori anno emissum, aliud sunt, quam luculentissima, feriae, pro instauranda Ecclesia, sollicitudinis, documenta? Nostrum autem, *Optimi Fratres*, qui ὁμολογούμενοι τῶν μυστηρίων Θεῶν et ἐργάται τῆ ἀμπελώνας, sumus, nostrum imprimis erit in ea omnia sedulo inquirere, quae Ecclesiis nobis conceditis turpitudini, quae laudi ducuntur: illa remouere, haec promouere, nostri putemus officii. *Vigilemus* itaque, vt, si quid erroris, vel superstitionis, vel vitiorum, nostris sese immisceat gregibus, non solum obseruemus, sed et mature medicinam paremus. *Laboremus*, verbum Dei, publice et priuatim, ita tractando, vt auditoribus nostris adnunciemus πᾶσαν τὴν βελὴν τῆ Θεῶν, ἢ ἐν πειθόσιν ἀνθρωπίνης σοφίας λόγους, ἀλλ' ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως: *laboremus*, inquam, vt tenellae iuuentutis aequae, ac adulatorum animi, et catecheticis, et acroamaticis exercitationibus, tali γνώσει σωτηρίας imbuantur, vt prompti esse possint ad apologiam, cuncto, rationem spei, quae ipsis inest, poscenti: *laboremus*, vt cognitio veritatum diuinarum non modo intellectum *Nostrorum* impleat, sed etiam in animis per veram ac constantem fidem non minus, quam serium pietatis studium, vim suam exserat atque efficaciam, id omni data occasione serio vrgentes, quod scientia ad Christianismum non sufficiat, sed ille in praxi potius consistat. (*) *Oremus* porro, pro nobis inuicem, pro vniuersa Christi Ecclesia, et pro gregibus, in quibus nos Deus constituit ἐπισκόπους, ποιμάνειν τὴν ἐκκλησίαν τῆ Θεῶν, vt fides in messem suam Deus mittat operarios, vt coetum suum a fermento Separatistarum, Naturalistarum et aliorum haereticorum defendat, aduersariorum insultus reprimat, puritatem Euangelii conferuet, et cunctis fidelibus secundum diuitias gloriae suae det, δυνάμει κραταιωθῆναι διὰ τῆ πνεύματος αὐτῆ εἰς τὸν ἕσσω ἄνθρωπον. Hoc denique agamus, *Fratres dilectissimi*, vt vestigiis Lutheri continuo insistamus, qui necessarium esse putauit, **NON DOCERE, ANTEQVAM FACERET**. Experientia condocemur, quantum exempla, et in bonam, et in malam partem, valeant: probe igitur quisque nostrum memor esto illius: Τύπος γίνε τῶν πιστῶν ἐν λόγῳ, ἐν ἀναστροφῇ, ἐν ἀγάπῃ, ἐν πνεύματι, ἐν πίστει,

C 3

(*) Sunt verba Speneri P. Desid. p. 108.



πίσει, ἐν ἀγγελία, 1 Tim. IV, 12. Rationem enim Domino Ecclesiae reddituri sumus exquisitissimam Ebr. XIII, 17. עֲשׂוּ מִלְּכַחַת יְהוָה יְהוָה רִמְיָהוּ חַיִּים Ier. XLVIII, 10. Eo equidem, vt Ecclesia sine macula aut ruga, perfecte sancta et inculpata sistatur, nunquam perueniemus: nullus, inquit Lutherus, Comment. in Genes. Tom. IV. f. 135. vnquam concionator mutabit, aut tollet ea omnia, quae sunt vitiosa in Ecclesia — — siquidem nullus vnquam Prophetarum omnes, quos docuit, potuit conuertere; sufficit autem, vere dicere posse; κήεις, γέγονεν ὡς ἐπέταξας, Luc. XIV, 22. sufficit dispensatoribus, si quis fidus inueniatur, 1 Cor. IV, 2.

§. XVII.

Vnum adhuc restat, *charissimi Fratres*, quod Vobis etiam atque etiam commendatum habeatis, velim. Nostis, diem XXXI. mensis Octobr. mox instare, qui non solum anniuersariam, sed hoc anno quoque bi- et semi- saecularem inceptae per Lutherum reformationis memoriam, in vniuersa Protestantium recolit Ecclesia. Exultemus in hoc beneficio nunquam satis depraedicando, quod mirifice nobis concessit infinita Dei sapientia, bonitas atque potentia (*). Declarate populo, quantum reformationis beneficio, salutis, nobis dederit Iehouah, et excitate animos, ad gratum, pro tanto hono, comprobandum animum. „Ne vero hilaria nostra frivuluae ostentationis et iactantiae inanis duntaxat speciem habere videantur, quasi iubilis nostris bacchari tantum et insolentem insultare aduersariis velimus, „ (**) monere Vestros, vt Deo ter Opt. Max. pro beneficio reformationis, non sacrificia labiorum tantum offerant, sed sistant corpora sua, hostiam viuam, sanctam, placentem Deo, rationalem illum cultum, Rom. XII, 1. Adhortamini Vestros, vt veritatem Euangelii per Reformationem restitutam, magis magisque non tantum agnoscere, verum etiam in veritate agnita sincere et constanter vsque ad vltimum vitae halitum ambulare, studeant, diligentius inculcantes ipsis verba Seruatoris nostri Iesu Christi: εἰ ταῦτα εἰδότες, μανθάνετε ἐσε, ἐδὴ ποιήτε. Ioh. XIII,

(*) Sunt verba Magnif. et summe Vener. D. Io. Frid. Bahrdtii, in Dissert. de ablatione spiritali p. 4.

(**) Vid. ibid.



XIII, 17. Quod ut a nostris quoque ciuibus fiat, eiusmodi Sacrae Scripturae Textus orationibus, quae vocantur circularibus, explicandos iam subiicio, qui satis superque, non nudam veritatum diuinarum notitiam, sed praxin earum, Christianum Euangelico-reformatum, siue Lutheranum facere, restantur. Adde simul veneranda *Dominorum Pastorum* nomina, in quos, quod lubentes habendarum concionum sacrarum laborem in se suscepturi sint, totus confido: nulla coeteroquin, quod pace illorum fiat, aetatis annorumque ministerialium, ratione habita.

DOMINVS M. CASPAR. HENRIC. WOLLWEBER, Pastor Osterhusanus, die Vener. post Dom. XXII. post Trin. d. 20. Nouembr. c. a. Text. Ies. I, 10-17. inclus.

DN. M. MAVRITIUS CHRISTOPH. FERBER, Pastor Rothenfchirmbacensis, die Ven. post XXIII. Dom. p. Trin. d. 27. Nouembr. c. a. Text. Psalm. XV. tot.

DN. ERNST. GODFRIED. MEYER, Pastor Varnstadiensis, die Ven. post Dom. I. p. Epiph. d. 15. Ianuar. 1768. Textus Galat. V, 6.

DN. CAROL. GOTTLIEB TEZEL, Pastor Gatterstadiensis, die Ven. post Dom. II. p. Epiph. d. 22. Ianuar. 1768. Text. Pf. CXIX, 7. 8.

DN. IO. ADAM STOY, Pastor Loderslebiensis, die Ven. post Dom. III. p. Epiph. d. 29. Ianuar. 1768. Text. Eph. V, 8. 9. 10.

DN. M. IO. CHRIST. FRIDERIC. GRAEF, Pastor Leimbacensis, die Ven. post Dom. Sexages. d. 12. Februar. 1768. Text. Pf. CXI, 10.

DN. IO. GEORG. BEYER, Pastor Barnstadiensis, die Ven. post Dom. Estomihi d. 19. Februar. 1768. Text. I Ioh. V, 1. 2. 3.

DN. M. IO. ANDR. REDSLOB, Pastor Nemsdorffensis, die Ven. post Dom. Quasimod. d. 15. April. 1768. Text. Rom. XIII, 11. vsque ad fin.

DOMI-

act. 139

X. 3293570

24



DOMINVS IO. GOTTFR. GROSSE, Pastor Obhusanus, ad Aed. S. Ioh. et Nicol. die Ven. post Dom. Misericord. d. 22. April. 1768. Text. Pf. L, 16 - 22. inclus.

DN. IO. ADOLPH KOCH, Pastor Substit. Obhusanus, ad Aed. S. Petri, die Ven. post Dom. Iubil. d. 29. April. 1768. Text. 1 Cor. XIII, 1. 2. 3.

DN. CHRIST. WILHELM HAVSNER, Pastor Doeclizenfis, die Ven. post Dom. Cantate d. 6. Maii 1768. Text. Pf. XXV, 14.

Adsit **DEVS** Omnipotens hisce vestris laboribus, instruat *Vos* et corporis et animi viribus, faxitque vt verbum per *Vos* in Templo nostro S. Lamp. praedicandum, ad illustrandam Dei gloriam, reformandosque ciuium nostrorum mores, multum faciat. Valet mihi que fauete. Dabam Querfurthi e Museo ipsis Calendis Octobribus clc Io CCLXVII.



DOMI



VD 19

ULB Halle 3
007 535 49X





713
Pi
1391

DE CONTINVA,
IN ECCLESIA EVANGELICO-REFORMATA,
REFORMANDI NECESSITATE,

OCCASIONE
MEMORIAE SEMI-Saecularis,
DIVINAE, PER B. LVTHERVVM
D. XXXI. MENS OCTOBR. ANNO clc15XVII.
WITTENBERGAE INCEPTAE,
REFORMATIONIS,

NONNVLLA DISSERIT,
SIMVLQVE
DOMINIS,
VTRIVSQUE SVAE DIOECESEOS,
PLVRIMVM REVERENDIS PASTORIBVS,
ORATIONES, QVAE VOCANTVR CIRCVLARES,
INDICIT,
IPSORVMQVE FAVORI ET PRECIBVS
SESE COMMENDAT

CARL CHRISTOPH STOESNER,
DIOECESEOS QVERFVRTENS. ET SITTICHENBACENSIS SVPERINTENDENS,
ET AD AEDEM S. LAMP. QVERFVRT. PASTOR.

LIPSIAE,
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

